

Q. D. B. V.

137

Ad

ORATIONEM SECULAREM

DE

ORTU ET PROGRESSU

GYMNASII

ZITTAVIENSIS,

Quod

VI. Id. Mart. M D L XXXVI.

Solemniter institutum,

Prid. Cal. Mart. M DC LXXXVI.

faustam hanc memoriam recolet;

PATRONOS ET FAUTORES,

Qui vel

in hoc Gymnasio profecerunt ipsi,

vel

ut sui proficere semper possint, serio exoptant,

decenter & officiosè

invitat,

Votorum & Gratulationum Interpres,

CHRISTIANUS *Weise*
RECT.

ZITTAVIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni.



Jubilæum publicamus Scholasticum, postquam centesimus Gymnasii nostri annus absolvitur. Neq; vitio nobis vertetur gratulandi, vovendi & bene ominandi promptitudo, si faustis ejusmodi recordationibus favere videntur Gentium & Populorum exempla. Judæi ex instituto divino quinquagesimum suum observabant annum. Quantum Romani seculares suos ludos, in Urbis conditæ memoriam æstimaverint, nemo ignorat. De Jubilæis hodiernæ Romæ, quæ ab anno centesimo, redierunt ad quinquagesimum, ab isto ad vicesimum quintum, illi referant, qui vel 1650. vel 1675. has Ceremonias videre meminerunt. Transiit ea res etiam ad Academias, quæ finito Seculi cursu, solennib' gaudiis perstreperere consueverunt: cujus ultimum exemplum in recenti adhuc est memoria, Academiae Helmstedtensis anno 1676. his gratulationibus defunctæ. Neq; jubilandi nullam occasionem dedit Religionis negotium, ex quo Potentissimus Saxonæ Elector anno 1617. in suis Provinciis jussit, in aliis commendavit ac persuasit, ut seculari festivitate recoleretur prima Lutheri adversus Tezelium disputatio: indignantibus tum Adversariis, quorum cavillationes in Gallia suæ historia Gramondus satis acerbè repetit: levi tamen nostrorum metu, ut simili pietate anno 1630. Augustanæ Confessionis memoriam, anno 1655. Pacis Religiosæ secularem constantiam celebrarent. Quin si à publicis his negotiis descendere libeat, vel ad privata magis, vel ad Scholastica: Gymnasium certè Gorlicense, cum per quinquaginta floruisset annos, occasione introducendi novi Rectoris, primum suum Jubilæum publicè deprædicavit: Seculi vero felicem exitum Pompâ Gregorianâ, Ludis Scenicis, aliq; splendore prosequi non dubitavit. Et cur nolimus omni conatu id agere, ut Cives intelligant, rem esse vel ipsis plausibus majorem, quoties tanti cimelii stabilem ac continuam licet allegare possessionem? Præsertim si apud alios valere videamus Juliani consilia, qui tum demum credebat, redigi ad incitas posse Christianos, si omnis eorundem Juventus à Scholis arceretur.

Eqvidem Romani Seclarem suam festivitatem indicturi, Præconis voce proclamabant, *ut quisq; veniret visurus Ludos, quos nec ante vidisset, nec posthac, dum viveret, revisurus esset unquam.* Jam cum Româ Orbis Dominâ temerè nolim comparare Zittaviam

nostram, ne cum Sole, minorem ego five Stellam five faculam contulisse videat. At enim vero, quod Romanis sua fuit Roma, id nostra nobis est Patria. Vivebant illi; vivimus & nos; suo fruebantur cœlo; nos cœlo simul fruimur & DEO. Pacem dicebant rerum optimam; nos diuturnâ ipsius possessione gaudemus. Inde liceat amore non dissimili, votisque ad novam admirationem compositis exclamare, velint in unum congregari PROCERES, CIVES, JUVENES, qui talia sunt visuri, quæ vix eorundem Nepotes sperare denuo possint. Ut enim propior affulgeat gratulandi materia, non aliqua proferentur ad ostentandam five curiositatis, five eloquentiæ copiam: sed ipsa GYMNASII HISTORIA, quantum à tenuibus initiis ad hanc qualemcumque amplitudinem pervenerit, universum occupabit dicentis argumentum. Ita vel narrando cognoscent, vel memorando & reminiscendo cogitabunt omnes, quæ in ornandis rebus nostris fuerit DEI Providentia, quæque impofterum sperari debeat Eiusdem Benignitas. Et erunt profecto, qui, versis in Curiam, Templum, omnemque Civitatem oculis, perpendant, neminem temerè ad utilem Reip. dignitatem adscendisse, cui primum felicitatis gradum Schola nostra non aperuerit: claro indicio, mera in his agris non provenire zizania, qui tam nobilem Tritici proventum in suis rationibus computare queant. Intelligemus quæ superioribus seculis rerum Scholasticarum fuerit angustia; quam pulchris augmentis, cum doctrinâ Evangelii, simul effloruerint Literæ; quæ incrementorum vel obstacula fuerint, vel subsidia; quomodo ad literarium velut certamen sese accinxerint vicinæ per Lusatiam Civitates; quibus denique tum Patronis, tum successibus ultima debeatur consummatio. Audient nominari octo post conditum Gymnasium Rectores, *Janitium, Etzlerum, Hammerum, Junium, Gerlachium, Preilium, Keimannum, Vogelium*, à nono Successore, qui nunc sibi gratulatur, Justa sic exsolvi posse Amico, Præceptori, Præceptorumque ac Patronorum Magistris.

Quemadmodum vero nihil dici hujus generis potest, quin loquentis & Auscultantium devotio, tum ad DEUM respiciat, unde fortunatorum successuum sancta deducuntur Primordia, tum ad Nobilissimos Patronos, quorum circumspecta Prudentia multis ab hinc annis obstetricantem, adjuvantem, conservantem adhibuit manum: Ita firma subnascitur spes, fore, ut ad diem crastini, post auditam octavam matutinam, illi copiam sui faciant, qui primos suos furculos hic exerefcere viderunt, vel, ut alii Posteritatis gratiâ sic propagentur, exoptant. Neque precibus aut prolixis invitandi formulis erit opus, ex quo sancta Concionantium vox, superiore Dominicâ, commendationem attulit cum omnigenâ prosperitatis fiduciâ conjunctissimam: quibus quidem ut pari deprædicandi & obsequendi officio respondere possit Cathedra nostra, etiam atque etiam precamur.

Quod

Quod reliquum est, ipsum Solennitatis ordinem breviter exponemus. Initium faciet Musica, duobus Choris Sacram Christi Scholam celebratura. Cum enim in Matthiæ Festum incidere Ecclesiastica hujus seculi gratulatio, pro ingenio ordinarii Evangelii, tria proponerentur, alternis harmoniis excolenda.

I. Quos Christus velit Discipulos.

Text.

Gott preise dich Vater und **HERR** Himmels und der Erden /
Daß Du solches den Weisen und Klugen verborgen hast / und
hast es den Unmündigen offenbahret.

Aria.

J ESUS bauet eine Schule /	Durch viel Thun und kluges Wissen /
D a man Weißheit lernen sol :	Wird sein Auge nicht verblendet :
S ehst wie sitzt Er auff dem Stuhle /	Denn der hat sich wol beflissen /
W ie gedeht die Jugend wol.	Welcher Gott und sich erkennt.

II. Quem Schola habeat Patronum & Fundatorem.

Text.

Gott Vater / denn es ist also wolgefällig gewesen vor Dir.

Aria.

D u der Vater der ihn sendet /	Wer in diese Schule gehet /
H at uns je und je geliebt /	Findet guten Unterricht ;
D aß er seinen Sohn verpfändet /	Seine Wolsahrt wird erhöht /
U nd sein Wort zur Lösung giebt.	Und der Segen läßt ihn nicht.

III. Quis Primarius sit Doctor & Magister.

Text.

Mele Dinge sind mir übergeben von meinem Vater. Und niemand
kennet den Sohn / denn nur der Vater / und niemand kennet
den Vater / denn nur der Sohn / und wem es der Sohn wil offen-
bahren.

Aria.

H err ist Meister wir sind stille /	Wenn wir nur von JESU hören /
W as Er lehrt / das glauben wir :	Wird die Weisheit wol bewährt /
S ein Befehl ist unser Wille /	D aß man auffer solchen Lehren /
D ieser schreibt uns Regeln für.	Keine Schule mehr begehrt.

Musica excipiet complexa narrationem & appreciationem O-
ratio, cujus finem obsignabit receptus Jubilæorum Hymnus, **TE**
DEUM LAUDAMUS. Sic enim humili potius devotione, quam
superbâ ludorum varietate ulteriorem **DEI** benignitatem provocare
constitutum est. Neq; displicebit hæc simplicitas, quibus gratum est,
pro Salute Potentissimi **ELECTORIS**, pro incremento **LUSATIÆ**,
pro successu Nobilissimi **SENATUS**, pro totâ **ZITTAVIA** preces effundi.
Sed faxit **DEUS**, ut his precibus adhuc gaudere queat Posteritas.

P P. è Gymnasio d. 27. Febr. M DC LXXXVI.

